



9189.

1773, 40.

PROCANCELLARIUS
IOSIAS LDOVICVS ERNESTVS
PÜTTMANNVS

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
PRAECLARISSIMI CANDIDATI
CHRISTIANI HENRICI WEINLIGII

D R E S D E N S I S
A. D. XXI. OCTOBRIS MDCCCLXXXIII
P V B L I C E C E L E B R A N D A
I N D I C I T

I N E S T

*De inopia mariti, interdum iusta separationis coniugum
temporariae causa,*

D I S Q V I S I T I O



Cum, bene monente in I. N. et G. Lib. VI. c. 1.
P V F E N D O R F I O , neque ex aetate sola,
neque ex solo corporis robore, sed simul
ex facultate vxorem prolemque nascituram
alendi, matrimonii contrahendi potestas ae-
stimanda sit, haud profecto male reipublicae consulunt ii,
qui non promiscue omnibus vxorem ducendi copiam faciunt.
Sic apud Carmanios olim nemini licebat ad vxorem animum
adpellere, nisi prius fortitudinis specimen ediderat, hostisque
caput amputatum ad regem pertulerat. Apud alios vxorem
ducturi domum ante aedificabant, apud Islandos autem sum-
me pauperibus matrimonio legibus interdicti relatum legimus.
Vid. P V F E N D O R F I V S l. c. et ADR, T U R N E B V S Ad-
uersar. Lib. XXI. c. 17. Quod cum apud plerasque gentes
aliter se habeat, quot non quotdie virum praeципitant, et
antequam pueri esse desinunt, mariti infelicibus aviis fiunt?
Neque vero nullas festinationis suae causas habent, atque ex-
cusationes adferunt. Quis enim (verba legis PETR. CVNAEI
in Sard. venat.) non meminit, ad hoc sacramentum se adactum esse,
sequi naturam? aut quid est omnino usquam, quod homo masculus
libentius videre debeat, quam bellam uxorem? — Totum hoc
uniuersum sapiens non ut patriam, sen ut familiam suam intue-
tur. eam familiam ornare, augere, stabilem firmamque facere,
prima eius laus est. Utinam vero necesse non foret, assiduum hu-
mani generis iacturam hac diligentia reparare. Eece, multa ho-
minum millia puncto temporis cadunt, et ad tam immanem stragem
una modo pestilentia, aut bellica acie opus est. At contra, vix
nouem mensibus unum reddunt puerum duo coniuges. An aliud
speramus, quam Scytharum deserta breui per orbem fore, nisi

quo-

IV

quotannis humana vis et sollers cura obſiſtat? Papae! Quasi ſcilicet gens humana eſſet interitura, niſi pueri etiam in ſpem eſuritionis vxores ducerent, ciuitatemque mendicabulis implerent. Quanto rectius igitur faciunt, qui, vt eodem loco P V F E N D O R E I V S ait, matrimonium differunt, quo commodius per coelibatum animum excolant, et ad praeflanda egregia societatis humanae ministeria ſeſe p raeſparent, id quod uxoratis per morem ciuitatis aut genium feminarum non ita liquebit. Sed cum paucissimis haec arrideat sapientia, etiam apud nos ſaepius accidere videmus, vt vxores ſeſe deceptas, ſumque ſibi factum eſſe querantur. Sollemeſ ſcilicet procis eſt, vt Croesos ſeſiſſent, poſtea autem facti mariti alere vxores nequeant, ſed iis eſuritionem, tamquam optimum tuendae valetudinis remedium, ſuadeant, aut, ſi hoc credere nolint, etiam imperent, adeo, vt haud raro vxoribus repetenda ſit vetus illa querela apud C A T V L L V M L. XII. 139.

*At non haec quondam nobis promissa dediſti
Voce, mihi non haec miserae ſperare iubebas,
Sed connubia laeta, ſed optatos hymeneos:
Quae cuncta aerii diſciprunt irrita venti.
Iam iam nulla viro iuranti femina credit,
Nulla viri ſperet fermones eſſe fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus p raegeſſit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt;
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.*

Idem fere, ni fallor, in animo habuere maiores nostri, cum notissimo veriuerbio dicent: *Alle Freyer reich, alle Gefangene arm*, quod nescio, an recte expositum ſit in V. C. 10. F R I D . E I S E N H A R T I *Grundſützen der deutschen Rechte in Sprüchwörtern*, pag. 101. Mihi ſane nihil aliud indicare videtur, quam hoc, plerosque procorum diuites videri atque pecu-

pecuniosos, eosdem autem, postquam mariti euaserint, miseros esse atque pauperculos. Captum scilicet dixerunt eum, qui amore captus esset, haud secus ac **T E R E N T I V S**
Eun. I. 1. 29.

*Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
 Minimo, si nequeas paululo, at quanti queas.*

Quid autem, deceptis sic miseris mulierculis, euenit? Frighten tunc homines, concordia fit discors, tandemque cuius
P L A V T O *Menach. V. 2. 31.* vxor dicit:

*Vivere hic, pater, non possum, neque durare ullo modo.
 Proin' tu me hinc abducas.*

Vetus luditur fabula, de qua iam **H O M E R V S** *Il. XIV. 206.*
 cecinit,

*'Ηδη γάρ δῆρὸν χρόνον ἀλλήλων ὑπέχουται
 'Ευνῆς ηγέτης Φιλότητος, ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε θυμῷ.
 Iam enim diuturno tempore inter se abstinent
 Cubili et amore, quoniam ira eis inuasit animum.*

Atque sic maritum denique deserit, patriosque ad lares mulier paupercula reuertitur. Quid tum? Clamor incipit mariti, indignum querentis facinus, sic solum se relinqu, atque deserit ab vxore, sine qua tamen viuere haud possit. Quid multis? Res defertur ad iudicem, penes quem ea de re statuendi potestas est. Ad iudicem, inquam, postquam scilicet in nostris saltet terris haud viget ordo ille equitum Mariae gloriose, (*Cavalieri de Madonna*) qui a vitae, quam plerumque paulo licentius agunt, genere *fratres gaudentes* vulgo vocantur, et in nonnullis Italiae locis, e. g. Bononiae, Mantuae, Mutini, adhuc florere dicuntur, quorumque praecipuum officium est, ut litibus coniugum componendis vacent, atque operam dent. Et est profecto, quod nobis gratulemur, equites illos in Germaniam

VI

haud penetrasse, sed potestatem illorum Italiae finibus contineri. Sunt enim inter illos, si credere fas est ea, quae de iis narrantur, homines admodum periculosi, maximeque timendi a maritis, quibus caput curae est, quosque

— faciunt aliorum cornua cautos.

Vid. AVCTOR ANONYMVS des kurzen Entwurfs der geistlichen und weltlichen Ritterorden, et LEYSERVS Spec. 316. Coroll. 3. Itur igitur ad iudicem, qui, postquam audiuit discordes coniuges, clamosos plerumque, ambo

Et cantare pares, et respondere paratos,
adeo saepe incertus est, vt, cui culpam tribuat, plane
incertus haeret. Audias iam maritum grauissimas de lingua
vxoris, indomito illo, vt ipse s. IACOBVS in Ep. Cap. 3.
eam describir, membro, querelas proferentem, illique vnic
omnem discordiarum originem acceptam ferentem. *En!*
cum IACOBO inquit, quantulus ignis quantam materiam in
cendit. *Et lingua ignis est, scelerum mundus.* Saepius, per
git, ego expertus sum, verissimum esse, quod apud
PLAYTVM Amphil. II. 2. 71. legimus:

*Bacchae bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorum facies, seriet saepius,
itemque apud OVID. Metam. III. 566.
Acrior admonitu est: irritaturque retenta,
Et crescit rabies, remoraminaque ipsa nocebant.*

Atque ea occasione velim iudicem in animo habere verba
LEYSERI Sp. 316. Med. 3. Inhumatum qf, et plusquam
crudele, hominem, cum leana et vipera et dracone conclusum,
sine auxilio relinquui, et, vt vitam reliquam cum istiusmodi ma
la bestia exigat, cogi. Aut, separationem decernendam non
esse, nisi vitae periculum immineat. Largiar hoc. Sed subeft
vitique vitae periculum, ubi homo pius pacisque amans perpetuo
zurgio exercetur, et moerore, quem ex pessimis sociae sibi sem
per

per adhaerentis moribus contrahet, contabescit. Sed nec vxoribus deerunt, quas contra maritos proferant, criminationes. Illa enim tam procax erit, vt virum accuset, quod non solum ipse suo haud satisfaciat officio, sed omnibus etiam modis, quo minus hoc suo loco alii faciant, impedit; haec contra fordes inopiamque marito exprobrabit, dicens, sine Baccho et Cerere frigere Venerem, neque se in haec foedera ad eum venisse, vt ex iure hesterno panem atrum voret. Felix tunc iudex ter et amplius, si inter tam discordes coniuges sopita seditione pacem tandem atque concordiam restitut. Adeo plerumque hoc difficile esse, ipsa me docuit experientia, vt, qui tale quid praestiterit,

— *idem iungat vulpes, et mulgeat hircos.*

Narrabo iam speciem, quae mihi ipsi anno huius seculi quinquagesimo quinto offerebatur. Erat coniugum par, cui dum sollempne fuerat

bella geri — nullos habitura triumphos.

Pace aliquoties frustra tentata, vxori tandem a Consistorio, ad maritum vt redeat, neque porro causam querendi det, praecipitur, cumque moras necteret, Praetorio, vt illam modo praescripto ad iussa facienda adigat, mandatur. Quid ad haec mulier? Inopiam mariti periculumque vitam inedia finiendi praetendens renuit, prouocationeque ad Principem interposita contra vim iudicis se se praemunit. Relatione ad Principem facta prouocatio quidem reicitur, simul tamen, vt mulier denuo audiatur, et super ea re ICorum sententia peccatur, rescribitur. Quo facto, quid putas, L. B. Ordinem nostrum anno supra iam indicato respondisse? Miraberis forsitan, si dixero, hoc:

dass vor allen Dingen Klüger, dass er sein Eheweib zu ernehren im Stande sey, mit Vorbehalt Beklagter Gegenbeweiss, auch beyder Theile Eydesdeletion, und anderer rechtlichen

VIII

lichen Nothdurft, in Sächsischer Frist zu ermeisen schuldig, worauf in der Sache ferner ergehet was Recht ist.

Equidem ipse, vt tum eram imperitus, hanc sententiam, tamquam nouam et inauditam, si quis alias, mirabar, quin apud animum constitueram, eam collectioni, quam eo tempore parabam, rerum male iudicatarum primo loco inserere. Sed quemadmodum saepius fit, vt, quae te scire credas, nescias, et quae tibi putaris prima, in experiundo vt repudies, ita etiam hac in specie, re diligentius considerata, non muto solum sententiam, sed plane etiam illi Ordinis nostri responso, non quia mihi honor contigit, vt nunc eius membra sim, sed quia ipsa me cogit veritas, plausum do. Causas, si quaeris, has accipe. Equidem scio, multas esse vxores, quae malis suis moribus id efficiunt, vt ipsarum matri-titis, quod in *L. 5. C. ad L. Iul. Mai. legimus*, mors solatum, vita supplicium videri debeat, adeo, vt teste *T. V. S. A N O D E L A R V E Amoen. Iur. Obs. Cap. III.* (in Thes. Otton. T. V. p. 1494.) CHASSANAEVS dixerit, ideo olim in Gallia fas fuisse puellis, ad mortem damnatos in matrimonium petere, quia maximum et diuturnum femina suppli-cium sit. Scio, multas haud erubescere, de se ipsis palam profiteri:

Κακοῦ δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται

Πεφύκαμεν.

Malorum quidem omnium natae sumus artifices

Callidissimae.

Scio denique, multas esse aut ineptas et fatuas, aut *C. A. IAE* illi *AFRANIAE*, cuius *VLPIANVS* in *L. 1. §. 5. D. de postul.* meminit, quaeque teste *V. AL. MAXIMO* muliebris calumniae notissimum evasit exemplum, similes. Quod cum dicimus, rogatos tamen vos cupimus, Lectores,

Ne quis vestrum haec ruminetur mulieri,

quia

quis periculum est, ne, si id rescuerint Iunones nostrae, in periculo pallarum cycladumque suarum amittendarum se versari existimantes, aut in caput nobis inuolent, aut seditionem excitent, moxque omnes et vrbis vias, et fori aditus obfideant. Neque vero ipsae, spero, negabunt, verissimum esse vetus illud poetae effatum:

— *vitiis nemo sine nascitur, optimus ille,*

Qui minimis urgetur. — —

Ego sane, si vllam perfectam omnisque vitii expertem vide-rem, hominem esse negans illico exclamarem:

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus

Mortalis, nec vox hominem sonat, o Dea certe!

Sed vt e diuerticulo in viam iam redeamus, haud quidem negamus, tot infelicium matrimoniorum non minimam partem malis vxorum moribus tribuendam esse. Sed contraria ex parte etiam sciens, multisque exemplis edociti sumus, haud raro a maritis omnem discordiarum, coniugii felicitatem turbantium, originem repetendam esse. Quot enim inter illos non sunt, qui vxores suas non tamquam socias, omnisque fortunae participes, sed tamquam principes seruas intuentur, satisque esse existimant, si illis primum inter ministras locum relinquant? Apposite PLVTARCHVS in *Præcept. coniugal.* (damus autem, vt chartae parcamus pariter ac tempori, verba tantum latina,) *Qui, inquit, ob imbecillitatem aut mollitatem non possunt infilire in equos, illos condοciant, ut se submittant, ac ingeniculent.* Eodem modo quidam, ducendo nobiles et opulentas vxores, non se meliores reddunt, sed vxores deprimunt, vt humilibus facilius imperare possint: *quam oporteat, ratione habita, ut magnitudinis in equo, ita dignitatis in muliere, freno vti.* Quis autem in muliere, liberaliter præsertim educata, reprehendet, si a proco, diuitem se simulante, montesque aureos promittente decepta, fordium iam

B

ino-

X

inopiaeque maritalis impatiens cum illo habitare recusat, temporaque laetiora apud parentes aut cognatos expectare velit. Audio quidem maritum sic verba facientem: Nonne matrimonium est consilium omnis vitae, i. e. fortunae, *) diuini et humani iuris communicatio? Nonne, cum mihi dices: *Vbi tu Caius, ego Caia,* vtramque fortunam, laetus pariter ac aduersos euentus te mecum partituram esse, promisisti? Meministine verborum, *Genes. III. 16. et 19.* pendebis a viro tuo, tibique ipse imperabat. — *cum vultus tui sudore vistum tolerabis.* Addet denique, rem pessimi esse exempli, si vxoribus contra maritos, viuere cum illis volentes, hac exceptione, nisi tamen tu alere vxorem nequeas, uti permittatur, maritisque adeo probatio, posse se vxoribus alimenta subministrare, iniungatur; ita enim futurum, ut omnes mulieres, virorum suorum pertaesae, hoc obtentu illis se subtrahant, moxque freno remoto licentius agant, atque bacchanalia vivant. His autem, sat scio, continuo regeret vxor: scisne tu, belle orator, maritum ad ferenda omnia matrimonii onera obstrictum esse, et non solum, ut viuat, sed etiam ut bene atque commode viuat vxor, praestare debere? Ero tibi subiecta, quumprimum me alere poteris. Legistine verba APOSTOLI *Ephes. V. 29.* *Nemo umquam corpus suum odit, sed id alat souetque.* At ego infelix neque plagas pati possum, neque esurire didici. Accepisti me vxorem, quae non seruire, sed, si fides APOSTOLO, (*I. Timoth. 5. 14.*) ipsa debet *οἰνοδεσπότειν*, profecto autem non hos, quos tu putas,

— — *quaestum munus in usus.*

Quo autem tibi vxor, quae non nisi muribus aut felibus imperare possit, quotidie cum inedia atque miseria conflectari necesse habeat? Igitur atque propera, resque tuas tibi habeo,

*) Qua de re videlicet, quae nuper scripsimus *Probab. Iur. ciu. Lib. II.*
cap. 17.

to, et mihi reddere meas, donec eo periueneris, vt si non lautius,
at commode tamen apud te viuere possim, nunc enim tibi

— neque seruus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis.

Iam, L. B. audiuitis ambo, neque dubito, quin grauiora vo-
bis vxoris, quam mariti, argumenta videantur. Quod enim
hic ait, probationem saltem ipsi haud iniungendam fuisse, ne-
minem facile morabitur, qui scit, non neganti, cuius partes
hac quidem in specie vxor agit, sed aienti, qui hic maritus est,
probationem incumbere. Quod tamen ea lege dicimus, ne
malitiis mulierum indulgetur, praecipue autem, vt, an ma-
ritus alimenta praestare possit, re ipsa dubium sit, neque vxor
sciens volensque pauperculo nupserit. Nam si ille manifeſte
oneribus matrimonii ferendis idoneus sit, non nisi inuerecum-
de vxor postulabit, vt maritus rem nulli dubio subiectam pro-
bare iubeatur. Quodsi autem sciens prudensque mendico se
addixerit, tunc profecto ipſi obſtabit, quod I V S T I N I A N U S
ait in l. vlt. C. in quib. cauf. in integr. ref. melius scilicet esse,
intacta iura seruare, quam post vulneratam causam remedium
quaerere. Scribit vir summe reuerendus, qui sub nomine
CVRTII ANTONII latere voluit, in Epitom. Iur. Can. p. 164.
Vna alapa ad separationem sufficit. Quod si verum est, (verum
autem esse, ipse coram Consistorio causas agens saepe exper-
tus sum,) quaero iam ex iis, qui nobis forsitan haud adſti-
pulabuntur, an vnam paruulam fortasse alapam maius malum,
quam inediā esuritionemque, ab vxore, sano stomacho in-
ſtruēta, quotidie preferendam censeant? Profecto, qui ita
existimant, eorum haud sanus stomachus sit oportet. Sed nec
ii audiendi nobis videntur, qui fortasse dicent, vxores ad
operas artificiales teneri, easque si praefiterint, facile ipsis
fore, victum inuenire, inopiamque mariti aliqua saltem ex par-
te subleuare. Legi quidem apud HERMOGENIANVM in l. 48.

XII

*D. de oper. libert. Sicut patronus, ita etiam patroni filius, et nepos, et pronepos, qui libertae nuptiis consenſit, operarum exactiō nem amittit, nam haec, cuius matrimonio consenſit, in officio mariti esse debet. Sed qui inibi vxorum ad operas artificiales obligationem videre potuerit, ille plusquam lynceus sit, necesse est. Ego quidem operas officiales ea in lege deprehendo, de artificalibus autem HERMOGENIANVS ne cogitas se quidem mihi videtur. Recte in Oecon. Iur. p. 87. edit. nouiss. scribit BERGERVS: Ea lucra, quae ex operis artificalibus simplicibus sunt, regulariter marito minus cedunt, quia eiusmodi operae marito non debentur, atque adeo uxor, tamquam persona ingenua, praesumitur magis sibi, quam marito acquirere velle, quo facit l. 16. §. 3. D. de alim. vel cib. leg. l. 51. de don. int. V. et V. Et quamquam addat, hoc in foro Saxonico fere aliter se habere, ipse tamen postea hanc consuetudinem non usquequaque certam esse fatetur. Sic vero nec IO. FLOR. RIVINV^S in Progr. WEIDLICHII Diff. de acquaest. uxor. (Lips. 1741.) adiecto, contrariam sententiam defendens, nos moratur, sed magis placet, quod scribit WILLEMBERGIV^S in Select. Iur. Matrimon. p. 420. Ad operas artificiales, quae nullo habito respectu ad personam mariti ab uxore fusiuntur, e. g. lotricis, netricis, obstetricis officium agere, separatum commercium, chirurgiam exercere, cantando quaestum facere, ne obligetur, facilius concedi potest. Etenim ratio haud permittit, ut uxor, in societatem domesticam assumta, alia extra eam exerceat, et ex his operis quaestum colligat pro aliendo marito, quod contra dignitatē eius esset, qui ipse idoneus esse debet ad acquirenda alimenta, quibus familiam suam sustentet. Et quid, si artificium haud didicit mulier? Apud Romanos certe raro hoc usu venisse existimo, qui scio, ciues Romanos artibus illiberalibus operam haud dedisse, sed seruis eas ac peregrinis reliquisse *). Et quemadmodum Athenis meretrices potissimum humanioribus disciplinis et mathematicis, ut ad respon-*

*) Conf. HEINECCI Commentar. ad Leg. Ital. et Pap. Popp. pag. 230.

dendum fierent paratores, operam dedisse, ex Athenaeo docet MERILLIUS Obs. L. V. cap. 17. sic etiam CUPERVS Obs. L. I. c. 16. ostendit, fidicinam esse proprium fuisse meretricum. Mihi quidem optimae semper vxores visae sunt illae, quae rei domesticae curam gerentes artium studia viris relinquunt, quippe qui s^epe intellexi, eas, quae libris magis quam in libros incumbere voluere, pretiosiores *) se facere solere, in earumque numerum referandas esse, quas MOLIERIVS in notissima fabula, *les precieuses ridicules* dicta, lepide traduxit. Taceo, abhorre ab huius seculi licentia, si mulieres, laboris plerumque impatientes, et ornamentis suis atque crepundiis nimis iam occupatas, operis artificialibus, quas illae sapienter student euitare, addicere velimus. Nae nimis seuerus esset, qui tale quid ab huius aei mulierculis exigere voluerit. Ius autem, quantum eius fieri potest, moribus attemperandum esse, communis qua Philosophorum qua ICtorum sententia est. Vis exemplum? Dabit PAVLVS in l. 3. §. 5. D. de suppl. leg. Nec interef*t*, inquiens, cuius materiae sint res, quae sunt in supelle*t*ili; sed craterem argenteum non esse in supelle*t*ili, nec verum vas argenteum secundum seculi seueritatem, nondum admittentis supelle*t*ilem argenteam. Hodie propter usum imperitorum, si in argento relatum sit candelabrum argenteum, argenti esse videatur, et error ius facit: eleganterque IAC. FACCIO LATVS in Or. qua docuit expedire, omnes gentes Romanis legibus operam dare, suis autem viuere, quae est inter eius Orat. Lipp. 1725. iunctim editas septima: Id denum iustum est, quod temporibus conuenit, non secus atque illud salubre dicitur, quod loco et tempore laboranti adhibetur. Ut igitur in arte medica non cuilibet omnia, nec eadem semper salutaria sunt, ita in regendo

*) Quo de verbo, in l. 4. §. 8. D. de re mil. obuio, conf. Opusc. de Istan, vet. Ict. a DVKERO edit. p. 427.

XIV

*et iudicando, nisi iustitiae munia pro rerum ac temporum conditione
statuantur, iusta cum iustis aliquando pugnabunt, legesque illae,
per quas ciuitatis morbi curari debent, modo i[n]salubres, modo
etiam exitiosae videbuntur.*

Sed indicenda nunc sunt sollemnia doctoralia

CANDIDATI DIGNISSIMI
CHRISTIANI HENRICI
WEINLIGII

DRESDENSIS,

idque antequam fiat, quae de vita sua, laudabiliter huc usque
acta, ipse litteris confignat, cum lectoribus nostris commu-
nicanda. Ita igitur de se ipso noster :

*Ego, CHRISTIANVS HENRICVS WEINLIG, anno
huius seculi XL. die XXIX. Junii natus sum. Quod hic
primo loco noninandum, est parentum optime meritorum par-
carissimum, iampridem fatis maturantibus ad coelites euoca-
tum. Patre felicet natus sum CHRISTIANO WEINLIG, con-
sulis olim prouincia in Senatu Dresdensi per multos annos fun-
cto; Matre MAGDALENA SOPHIA, IOANNIS GE-
ORGII SCHOMBVRG, rei nummariae Regis Polon. et Ele-
ctoris Saxon. nec non Circuli Saxonie Superioris olim praefecti,
filia; quibus parentibus post Deum et vitam et innumera educatio-
nis, disciplinae, et melioris, qua nunc gaudeo, conditionis beneficia
accepta me ferre ingenue fateor, atque pia grataque mente testor.
Prima litterarum rudimenta diuersis praceptoribus debo, in-
ter quos studiis inferioris doctrinae coronidem imposuit Dom.
M. Gebauer, Scholae, quae Dresdae floret, Corrector, cuius
priuata institutione per tres annos usus sum. Altioris doctri-
nae scientiam ut acciperem, Lipsiam, inclytam hanc artium se-
dem*

dem, adii d. X. Ianuar. LIX. vbi a Viro Magnifico,
Ianne Friderico Maio, t. t. Rectore, ciuitate academica
donatus, et dissentium numero adscriptus sum. Iuris Naturae
et Logices praecepta mihi tradidit doctissimus Müllerus;
Historiam iuris percepit ex institutione D. Sammetti; Ius ci-
nile didici preeuentibus Viris doctissimis Zollero, Bauero, et
Sammetio; Ius Canonicum me docuit vir celeberrimus D.
Thomafus; Iuris Criminalis notitiam hauſt ex praeceptis D.
Brewingii. Die VII. Aprilis anni LXII. praevia disputa-
tione de iure artificialibus uxoris operis acquisitorum, sub praefi-
dio celeberrimi Viri D. Baueri defensa, pro praxi adeunda a Col-
legio Iuridico, quod Lipsiae floret, examinatus, et Notarius Pu-
blicus Caſfareus creatus sum. Supremum, quod Dresdae eſt,
Regimen die XVIII. Maii LXII. Notarii munus mihi con-
firmavit, et d. XIII. Dec. eiusdem anni praxeos exercendae co-
piam fecit. Die Walpurg. LXX. Ordini Dresdeni Senatorio
adnumeratus sum.

Studiis academicis dudum ad finem perductis nos iam adiit,
vtque summi in iure honores ipsi tribuantur, petiti. Cui
desiderio, postquam ad consueta examina admisſus exspecta-
tioni nostrae per omnia satisfecit, cum deesse haud potue-
rimus, vt de ipsius eruditione atque doctrina publice quo-
que constet, proximo die Mercurii in auditorio ICtorum
hora a meridie II. l. 10. C. de procurator. interpretabitur,
postea autem a. d. XXI. huius mensis hora IX. eodem loco
Dissertationem, qua disquiritur, ſimultanee inuenitī quate-
nus viritim, et quatenus ſecundum ſirpes ſuccedant? praefide Viro
illustri, Excellentissimo, atque Consultissimo, Domino D. HEN-
RICO GOTFRIDO BAVERO, Supr. Cur. Prou. et Collegii
ICtor. Aſſeſſ. Pandeſſ. Anteceſſ. P. O. nec non Eccles. Ca-
thedral. Numburgens. et Collegiat. Wurtzenſ. canon. h. t.
Praepoſito magno, et Collegii Minor. Princip. Colleg. de-
fen-

XVI

fendet, quo facto hora XI. Vir itidem Illustris, Excellentissimus, Consultissimusque, Dominus D. CAROLVS GOT-FRIDVS WINCKLERVS, in aula Serenissimi Electoris Saxonie et Iudicio Prouocat. a consiliis, Colleg. ICtorum in Acad. Lips. Assessor, ciuitatis Lips. Praetor, fautor atque collega longe honoratissimus, cui ex decreto Ordinis promotoris munus delegui, summos ipsi in iure honores cum omnibus priuilegiis atque iuribus, huic dignitati adhaerentibus, sola excepta ad Ordinem nostrum adspirandi spe, tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVS-QVE REIPUBLICAE PROCERRS GRAVISSIMI, CI-VES DENIQVE GENEROSISSIMI NOBILISSIMI-QVE praeftentia sua honorifica splendidiorem reddere ne de-dignentur, quam qui maxime rogo. Dab. Lips. a. d. XVII. Octobr. MDCCLXXIII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



ULB Halle
004 758 501

3



56



B.I.G.



9189.

1773,40.

PROCANCELLARIUS
IOSIAS LUDOVICVS ERNESTVS
PUTTMANNVS

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
PRAECLARISSIMI CANDIDATI
CHRISTIANI HENRICI WEINLIGII

D R E S D E N S I S

A. D. XXI. OCTOBRIS MDCCCLXXIII

P U B L I C E C E L E B R A N D A

I N D I C I T

I N E S T

*De inopia mariti, interduin iusta separationis coniugum
temporariae causa,*

D I S Q V I S I T I O

